

Musci vox quaecumque villosam canitiem annosis caudicibus, aut faxis madidis, aut aquis palustribus aut maritimis adnascens significat: idem quod Græcis *βέρον*: Arabibus, *Vinea*: Sphagnum & Hippnum Aërio, Sphagnum Plinio. Triplex est, arboreus, terrestris, & maritimus: hic de arboreo, quia aliquando odoratus est, cuius nomine primas tenet, & a Galeno *βέρον ἀρωματικόν* dicitur, eò quod antiquitas crebro in odoratis unguentis & suffitibus usa sit, ut is qui è cedro, robore, pinu, picea, abiete, & larice dependet, quem privatim Splachnon vocant: aliquando inodorus, ut est populi, ulmi, betulae, pomi, pyri & aliarum arborum. Omnium ferè color viridis, vel albicans, quibusdam fuscior, nonnullis flavescent, aliis subrubens, rarissime niger: sic alter tenuior, crassior alter: quidam brevior, alter prolixior: vilissimus qui ex quercu dependet. Imitatur autem muscus naturam parentis & loci natalitii.

10 Muscum & Muscum arboreum communiter herbarii nominant. II. Muscus hic in quartum librum fuit rejiciendus, qui dicitur Muscus terrestris, Trago. Lon. Cast. Dod. Lugd. Permonaria, Anguil. Lycopodium seu pes lupi, officinis quibusdam, spica Celtica magno errore, Dod. Gal. Muscus clavatus, Lob. Muscus ursinus, Gef. in fracto. Musci genus, Cæs. Lycopodium, Tab. Selaginis species altera & Muscus reptilis, Thal. Chamæpeuce, scholiasti Cordi.

Α' γαλλοχρ.

AGALLOCHVM.

CAP. XXI.

20 **A** GALLOCHVM lignum est, quod ex India atque Arabia deportatur, thuiæ ligno simile, maculatum, odoratum, gustu adstringens cum quadam amaritudine: a cute verius quam cortice vestitur: aliquantulum vericoline. Manditur, aut decocto os colluitur, commendandi halitus gratiâ: b sudores arcet toto corpori insparsum: pro thure ad suffimenta substituitur. Radix epota drachmæ unius pondere, humida stomachi vitia, & imbecillitatem, fervoremque mulcet: si lateris, jecinorisve dolor excruciat, si dysenteriae, aut tormina infestant, ex aqua bibere prodest.

a Ita leg. Catac. & Drag. sed meum *εργυρίον*, sed vereor ne falsò.
b *αγρί δια- παρμα δὲ ὁδὲ τῷ σάματι*
i. siccum tritumq; inspergitur toti corpori
Agallochi consideratio.

LIGNVM ALOES.



A Gallochum à Græcis, & Latinis recentioribus, sicuti ab Aphris, Lignum Aloes appellatur. Optimum à Lusitanis è Calecut India emporio ad nos conveyitur. Et si etiam Venetiâ hæc ætate ex Alexandria Aegypti præstantissimum afferatur: siquidem igni accensum suavisimum, ac per jucundum spirat odorem. Nec ob id putandum hoc illegitimum esse, quod *εργυρίον* id est punctis maculatum non sit: quoniam Oribasius non legit *εργυρίον ἐπὶ αἰὲρ δὲ ἐν ὁδοῖς*, id est: Est igitur odoratum, &c. Quemadmodum nec id etiam legit Serapio, qui nec punctorum, nec macularum meminit: sicuti nec Paulus. Ceterum non diu est, quod legitimum importari cepit: nam licet antea quibusdam non deesset Agallochum verum, nihilominus, quod rarissimum esset, officinae ferè omnes ejus loco, ut superius diximus, oleastrum Rhodium suppeditabant: quem falso existimavit Ruellius asphaltum esse. Nascitur Agallochum (ut Lusitani per meridiem in orientem navigantes testantur) in insula Taprobana, alijsq; consimilibus locis, cujus integro truncos in Lusitaniam, & Hispaniam iidem secum attulere, qui non modò incensi, sed manuum tantum attritu suaviter (ut ajunt) redolent. Porro ubique pretiosum Agallochum est: nam & in locis, ubi nascitur, plurimi pendunt. Verum Agallochum, quod tantopere præstet, hæcenus mihi videre non licuit. Sunt, qui somniantes dixerint, Agallochi arborem vidisse neminem, cum terrestri tantum paradiso proveniat: illudq; ferri fabulantur fluminibus, quæ (ut sacra testantur monumenta) ex eo manant. Atqui pro comperto habetur (ut paucis innuit Serapio) Gangem Indiæ amplissimum fluvium quam plurima secum Agallochi fragmina vehere, quæ tamen in ipsum ducuntur aliorum fluminum cursu, qui in eum conflunt. Quippe cum fluvii transfluant loca, ubi Agallochum provenit, aquarum inundationibus turgentes, hujus truncos, fragmina, ac ramenta rapiunt una cum aliis

Agallochi fabulosa opinio.

60 varii generis lignis, & in Gangem transferunt, quemadmodum in nostris etiam fluminibus sæpè ac sæpius visitur. Cujus rei indicium affert illud, quod Venetiis venditur, utpote quod longo aquarum discursu omni ex parte laceratum, exesum, comminutumq; spectetur. Quamobrem mirum non est, si dum manibus tractatur, id odoris non præstet, quo illud fragrare prædicant ex natali solo in Lusitaniam advectum. Ejus plura numerantur genera, si Serapioni fides est adhibenda, qui ex Abobanisa Arabe ita transcribit. Dicunt Agallochum in Arabia nunquam oriri, tametsi quædam ibi crescat plantæ Nevig vocata, quæ quadantenus Agallochum refert. Verum præstantissimum India mittit: & quamvis hoc genere differat (plura enim Indiis Agallochi sunt genera) id tamen quod viribus cetera præcellit per excellentiam Indum peculiariter vocant, quemadmodum nigra myrobalana, quod ceteris præsent, Inda pariter appellant. Indum in quadam India insula invenitur, quæ Fimus nominatur. Selectissimum est nigrum, quod varium ostendit colorem,

Agallochi historia, ex Serapione.

succi plenum, ponderosum, duritie compactum, crassum, non albicans, quod accensum agerrimè flagret. Secunda bonitatis est Mondunum à Mondel India urbe denominatum. Tertium est Seisicum, quod non obscura bonitatis praesumitur, quod sua praestanti vi, ac gravedine in aqua coniectum, non innatet, sed statim subsidat: porro ex hoc genere id magis praestiat, quod crassum est, & plurimo humore praegnans. Postremam sedem habet Alcumericum Seisico bonitate cedens: tamen si Alcumeri non longius à Seisi distet, quam itinere triduano. Praestat in Alcumerici genere nigrum nulla albedine varium, grave, ignium flammis diu resistens, veruntamen viribus Seisico infirmius est. Item ex auctoritate Chealfetebeni idem ita scribit. Ferunt praterea, quod incolae Agallochum statim ab arbore dissectum integro anno sepeliunt, ut ita terra obrutum marcescat cortex, lignumq; tantum purum remaneat, adeo, ut è ligno nihil erodatur. Ferunt insuper illi in regionibus collabentes ex Agallochi arboribus ramos, raptos à fluminum inundationibus per circumstantes regiones deferri: haec Serapio. Cui subscribit è recentioribus Gracis Simeon Sethi, causam etiam reddens, cur annua sepultura dissectum Agallochum recondatur, cum inquit. Non alias odoratum futurum existimant, nisi prius marcorem aliquem & teredinem senserit: proinde harum regionum incolae dissectum sub terra condunt, suoq; tempore eximunt, & negotiatoribus vendunt. Nicolaus Myresicus sepius in suis componendis medicamentis Agallochi crudi meminit, Fuchsius prima de anridotis sectione, sic adnotavit. Saepè Agallochi crudi mentionem facit Nicolaus, ideoq; hoc loco, quae nostra de illo sit sententia, exponemus. Per crudum itaque lignum intelligo, quod non putruit: nam (ut testis est Simeon Sethi) ejus regionis, in qua provenit, incolae id ipsum concidunt, & sub terra multo pulvere obruunt, & post aliquod temporis spatium, quantum scilicet sufficere videtur, ligni partes educunt, & mercatoribus vendunt: crudum itaque erit, quod terra non obruitur, sed statim ab arbore excisum ad usum rapitur: haec Fuchsii sententia. A quo tamen nos pace sua, dissentimus, nam si in componendis medicamentis praestantiora simplicia semper exposcimus, sitq; Agallochum illud praestantius, odoratiusq; (ut etiam Simeon ille refert) quod terra, vel pulvere fuerit sepultum, non video, cur potius insepultum, & statim ab ipsa arbore excisum (id enim ob locorum distantiam recens habere nequimus) crudum vocaverit Nicolaus, praestantiusq; existimaverit. Pulvere enim vel terra conditum coqui non potest, quod nullus ibi sit ignis, neque color, sed potius recrementitia humiditate exui, quae fortasse odorem ejus obtundit. Verum crediderim potius, per crudum Agallochum Nicolaus illud designari, quod non fuerit antea elixum: quod inde fortassis odoratissima lavacra ex Agallochi decocto sibi conficiant Indi, aliq; odoramenta in regales praeparant usus, ut etiam cum rhubarbaro fieri narrant. Vel forte per crudum illud intelligit Nicolaus, quod impetu fluminum, longoq; eorum ductu per regiones non defertur: in his namque caloris regionibus aqua à solibus non obscure calefacta non modo illud omni ex parte diluunt, sed etiam elixant. Illud praterea addiderim, quod cum non modo crudum, sed etiam bonum addiderit Nicolaus, nullum aliud expetere videtur, quam quod sepultum praestantissimum evaserit. Caterum Agallochi omne genus excalfacit, & exiccat ordine secundo. Facit, ut Aricenna scribit, ad cordis affectus: ob idq; inter ea medicamenta, quae cordi praesidio sunt, Agallochum recensuit. Hujus non reperio meminisse Galenum alibi, quam in succedaneis, ubi centaurium supplet pro Agallocho. Lignum, quod Gracis ἀγάλλοχος, Latini similiter Agallochum dicunt. Verum recentioribus Gracis φοάαδος nominatur, ut officinis Lignum aloes: Mauritanis, Hoad, Agabian, Agalugin, aut Agalugen: Itali, Agallocho, & Legno aloes: Germanis, Aloes-Holz, seu Ercus-Holz: Hispanis, Lin aloes.

A Gallochum ex recentioribus Gracis primus Aetius, (quem sequuntur Aetuaris & Simeon Sethi) Xyloaloe, forte à nonnulla similitudine coloris aloes appellavit: unde officinis lignum aloes, ut & Lon. Cæs. Tab. & Lignum Paradyfi, quibusdam lignum aquilae, vel S. Crucis: at Cord. in Diosc. Lac. Lob. Cast. Lugd. Agallochus. Videntur & veterum nonnulli per Aloem, Agallochum intellexisse. Nam diapasma illud, quo lectulum suum odoris gratia, consperferat muliercula, de qua apud Salomonem legitur, Myrrhā, Aloem & Cinnamomum recipit, quo loco minimè succus ille herbae Aloes intelligendus, cum inter odorata non referatur. Est enim Agallochum arboris oleae instar, fructu piperis modo rotundo & rubente, ligno thuiæ simili, maculato, odorato, quod cortice crasso, aliquantulum versicolore, vestitur: cujus licet Serapio plura genera, Sethi differentias decem, Ruellius quatuor, Ludovicus Romanus triplicem arborem faciat, duo constituimus summa genera, aliud legitimum, aliud sylvestre: legitimum aliud solidum & ponderosum, nimirum Agallochum: aliud fissile, leve & aromaticum, quod Tarum dicendum. Sed de duplici Tarum videatur Cordus in sua historia.

Narcaphthum.

NARCAPHTHVM:

CAP. XXII.

Narcaphthum ex India defertur, corticosum, simile a fycomori libro: quod jucundi odoris gratia sufficit. Miscetur thymiamatis compositis. Constrictionibus vulvae suffitu prodest.

Tam breviter, tamq; parcè de Narcaphtho scripsit Dioscorides, ut nimirum mihi perdifficile sit explicare, quidnam hac etate ad nos ex India afferatur, quod legitimum Narcaphthum referat. Eoq; magis quod nihil de hoc (quod equidem sciam) Theophrastus, & Plinius suis monumentis posteritatis memoria prodiderunt. Attamen non desunt indicia, quae pra se ferant (si modo ad nos deferatur) id omnino esse Narcaphthum, quod vulgè officina vocant Tigname: nam Tigname non aliud integrat, quam thymiamata apud Gracos, quod apud Latinos suffimentum significat. Proinde cum hujus in suffimentis frequentissimus sit usus, nil mirum si novum ex usu sibi vendicaverit nomen, quod est thymiamata. Id quod corrumpentes posterit tigname pro thymiamate dixerit. Ad hac (ut Dioscorides inquit) jucundi odoris gratia per se sufficitur, ac etiam aliis suffimentis inseritur. Quod in Tigname facile probatur: quippe id tantum usu venit in compositis odoramentis, quae ad suffiendum parantur, ita ut praterquam quod per se id munus praestet, rursus quoq; fiant suffimentorum compositiones, quae ipsum non recipiant. Quare admirari sinamus, si relicto proprio sua arboris nomine, sibi ascitiam nomenclaturam ex suffimentis usurpaverit. Serapio Narcaphthum Lasabaten vocat: & illud odorati calami vice supponi posse autumat. Narcaphthum Gracè, sicut Narcaphthum Latine appellatur: Arabicè, Nabach, sive Lasabaten: Italicè, Agallocho, atque etiam Tigname, veluti seplasiarum vulgo.

Cum nec Theophrastus, nec Plinius Narcaphthi, seu Nascaphthi, ut multa exemplaria habent, ut & ipse Aegineta legit, meminerit, sed solus Dioscorides cum Aegineta, & quidem adeo succinctè, dubium est, an legitimum hoc sit caput, maximè cum Marcellus in antiquissimo & probatissimo codice

dice non legitur: imò & antiquiora exemplaria, quæ hoc caput habent, in ejus tamen lectione variant. At Hermolaus censet consulto à Plinio Nascaphthum prætermisum, quia ejus natura incerta sit, & nomine tantum orbi nostro cognitum: idem ex Hermolao, Ruellius refert.

Καύμαρον.

CANCAMUM.

CAP. XXIII.

CANCAMUM Arabici ligni lachryma est, myrrhæ quodammodo similis, virosi gustus, quam ad suffimenta usurpant. Vestes eo, additis styrace & myrrhæ, suffiuntur. Vim proditur obtinere extenuandi obesos, si ternum obolorum pondere ex aqua, aut mulso aceto plusculos dies ebibatur: lienosis datur, comitialibus, & suspiriosis: menses cum aqua mulsa pellit: oculorum cicatrices confestim emendat: vino madefactum medetur eorundem hebetudinibus: adversus gingivas humore prægnantes, doloresque dentium, non aliud efficacius.

LACCA.



Cancamum, quod notis omnibus Dioscoridis historiam præferat (ut recentiorum serè omnium medica materia studioforum fert opinio) nec ex Arabia, nec aliunde ad nos advehitur. Quidam tamen pro Cancamo gummi quoddam rursus, ac pellucens ostendunt, quod surculos incognita arboris undiq; circumvestit, myrrhæ quadantenus simile. Verum tamen quod nulla (ut Dioscorides inquit) in eo manso saporis virositas deprehendatur, alij id potius mentiri, quam esse legitimum Cancamum volunt. Expetit hoc gummi genus hoc tempore maxime insectoribus ad inscienda serica stammina, idq; vulgari sermone quidam in Italia appellant Lacca, quidam diminutè Lacchetta. Cujus duo habentur genera, quæ tantum (ut opinor) bonitate differunt. Præstantius vulgò appellant Lacca sumetri: quod verò deterius est, Lacca comberti, cognomenis fortasse à locis Arabum à quibus deferuntur, acceptis. Primum surculis perpetuò obvolutum visitur: alterum absq; surculis in glebas concretum myrrhæ modo, quod etiam viliori pretio vendunt. Hinc itaq; factum est, ut crediderint illi Serapionis auctoritate ficti, hoc legitimum esse Cancamum, nempe quod is Cancamum Laccam appelleret, & quod arboris sit gummi, vel lachryma myrrhæ quadantenus referens: quodq; etiam ejus meminerit Serapio, postquam de Dioscoridis

Cancami consideratio.

Lacæ Arabum opinio, varia.

Lacæ vires & locutio.

Lacca tinctorum est & Arabum, differens à Cancamo.

Cancamum & lacca quod idem sint, probatur.

Lacæ falsitatis genera nativa.

& Pauli Cancamo egit, his verbis. **LACCA** (ut inquit Isac amran) res quedam est rubea, quæ tenuibus lignorum surculis inheret, sapore non ingrato. Coquitur hæc, & inficiuntur inde panni rubeo colore, quam insecturam chermes appellant: quod verò post insecturam subsidet, & insectoribus remanet, pariter Laccam vocant. Ceterum Lacca ex Armenia deferitur, exiccans & excoalfaciens ordine secundo. Ventrículum & jecur roborat, eorumq; infarctus expedit, ictericos juvat, & aquas pellit. Eluitur ad medicamentum hac ratione. Ramuli, qui hoc secant gummi, diligenter franguntur, ac subinde aqua perfunduntur, in qua odoratus juncus aristolochiæ, infertuerunt: deinde pistillo agitantur: cum autem ab agitatione resederint, aqua leviter abijciuntur, quod si una tantum lotionem non pelluceat, secundo item repurgetur, demum ficeatur in umbra, & recondatur in vase vitreo: hæc Serapio. Quibus palam est gummi, quod insectoribus vulgò Lacca dicitur, Laccam esse Arabum, & à Græcorum Cancamo differre: quod Dioscoridi Cancamum lachryma sit Arabica arboris, virosi gustus: Serapioni verò res quedam rubea, ex Armenia, non ex Arabia allata, tenuibus lignorum surculis inherens, sapore non ingrato. Item Dioscoridi Cancamum obesos extenuat, lienosos juvat, suspiriosis & comitialibus prodest, menses pellit, oculorum cicatrices delet, & hebetudinem curat, tumentes gingivas cohibet, & dentium dolores tollit. Serapioni autem tantum obstructions aperit, viscera imbecilla roborat, jecoris dolores mulcet, & regium morbum, & hydropem sanat: quæ omnia medicamentorum diversitatem præ se ferunt. Quo sit, ut non ab re existimaverint peritiores medici, nos omnino Dioscoridis Cancamo esse destitutos. Verum tamen non desunt rationes, nec probatissimorum auctorum testimonia, quibus etiam probari possit, Græcorum Cancamum, & Arabum Laccam idem esse. Nam etsi hæc, quæ allata sunt, omni ex parte vera videantur, si quis tamen Dioscoridis codicem hoc capite scaterere mendis animadverterit, & rem omnem accuratius, diligentiusq; perpenderit, certior fortasse fiet, nos Cancamo non omnino destitui. Ego enim cum Paulum, qui in omni simplicium censu omnia ex Dioscoride transcripsit, accuratius perlegerem, invenissemq; illi Cancamum lachrymam esse Arabicæ arboris, myrrhæ similem odore grato, & quod nullius virosi gustus meminerit, illico orta est suspicio, quod ea particula Dioscoridi illegitimè accesserit. Auxit deinde suspicionem hanc Serapio: quippe qui capite de Lacca de Cancamo agens, dum (ut assolet) ex Dioscoride transcribit, nusquam hujus particula mentionem fecerit: quod fortasse Dioscoridis codex, a quo transcripsit, hæc menda facile vacavit. Sed illud adhuc magis remota se habere mihi persuasit, quod primum legatur in Dioscoride, Cancamum virosi esse gustus, quod saporis non suaveolentia indicium est: mox cum styrace, & myrrhæ ad sufficiendas vestes expeti, ut grato commendentur odore: quæ ut inter se maxime repugnant, ita etiam depravata lectionis præbent suspicionem. His itaque rationibus, & auctoritatibus non ab re adductus esse videor, ut quasi crediderim Dioscoridis codicem hoc in loco vitiatum fuisse: unde postea factum sit, ut ejus Cancamum ab Arabico diversum sese ostenderit. Neque sanè huic opinioni illud obstare videtur, quod plura in morbis curandis Cancamo assignaverit Dioscorides, quàm Serapio: si quidem nulli dubium est, quin ea medicamenta, quæ obesos extenuant, lienosos juvant, & menses cient, possint pariter ventriculum & jecur roborare, eorumq; infarctus expedit, & cutem subeuntes aquas, & felle suffusos sanare. Hæc autem silentio involvenda non duximus, non ut nostra hæc probetur, vel improbetur opinio, sed ut aliis veritatis investiganda pateat aditus. Sunt etiam falsitatis Lacca plura genera, quæ ex diversarum infectionum sedimento pictoribus tantum parantur. Alia namque conficitur ex pimpinellæ bacca, quam vulgo vocant Cremese, & Cremesino: ex insectorio cocco alia: alia ex

Chermesinum
quid fiet.

Fuchf. o-
pinto im-
probata,
chermes
laccam
existima-
tis.
Pharma-
copolarū
error in
dialacca.
Mona-
chorum
lappus,
sanguine
draconis
cancamo
substitu-
entium.

Nomina.

nativa Serapionis lacca: alia denique ex ligno, quod brasiliū vocant, omnium deterrima: quarum nulla ad medicamen-
ta admittitur. Non tamen desunt, qui credant, chermesinum insectoribus vocatum esse arboris gummi: imò illud idem,
quod Serapio, auctore Isaac, rem rubeam (ut paulò ante diximus) esse ait, quæ tenuibus lignorum surculis inhaereat, & quod
ea inficiantur panni rubeo colore, quem chermes appellant, quandoquidē huius sententiæ reperio fuisse Fuchsum. Sed meo
iudicio non exactè rem explorasse videtur, quippe chermesinum, quo puniceo, & purpureo colore serica stamina inficiun-
tur, est (ut Itali optimè norunt) pilula, vel bacca exigua pimpinellæ radicibus in orientalibus regionibus adnascens, non
autem gummi, vel roscidum, vel aliud per se manans, ab eo perquam longè diversum. Siquidem hoc nihil aliud est, quàm
nativa Serapionis lacca, quam propriè Itali vocant vulgò lacca & lacchetta, insectoribus tantum expetit a iis inficiendis
sericis, quæ viliori veneunt pretio. Nec obstat, quòd dixerit Serapio, quem hic secutus est Fuchsius, huius lacce insecturam
vocari chermes: quippe proprio capite de chermes, nūc sanè aliud per chermes intelligit, quam coccum insectorium Diosco-
ridis: quo fit, ut existimaverim in eo capite de lacca omnino subesse mendum, vel auctoris, vel interpretis: & fortè melior
hæc esset lectio. Coquitur hæc, & inficiuntur inde panni rubeo colore, adeo ut coccinei videantur: vel adeo ut iis similes sint,
quorum insecturis inficitur chermes. Aberrant præterea pharmacopolarum quàm plurimi, Dialaccam antidotum compo-
nentes, quòd legitime Armeniacæ lacca loco, quam Arabes prodidere, faciunt, & pictoribus tantum dicat immisceant.
Sed caveant, quæso, ne hunc errorem corrigentes in alterum non minus detestandum incidant: id namque iis facillè con-
tingit, si Monachus, qui in Mesuem scripserunt, morem gerent. Hi enim jam rei medicæ professores asserere non dubitarunt,
immiscendam esse loco cancam, seu lacca in magnam dialacca antidotum eam: Aphrica arboris lachrymam, quam sepla-
sia sanguinem draconis appellant, quæque Dioscoridis cinnamonis ab omnibus esse censetur. Sed certè iis magis hallucinan-
tur, quam ut refelli debeant, quòd ea lachryma in compluribus facultatibus cancamo ad versetur. Quippe Arabicum Can-
camum, quod potissimè antidotus illa exposcit, tanquam à Mauritani inventum, præterquam quòd ventriculum, & je-
cur roborat, adeo eorum infarctus, & obstructions expedit, ut ictericos quidem, & aqua intercute laborantes juvet: con-
trà verò draconis lachryma propria vi efficaciter adstringit, ita ut scriptum reliquerit Dioscorides, eam lachrymam iisdem
pollere viribus, quibus hamatites lapis: cuius tamen vis est, ut mensum prostravia sistat, non autem ut eliciat, Cancami
modo, præsertim ubi vasorum infarctum remorentur, ob idq; maxime expeditur ad sanguinis emanationes, ad vulnera cobi-
benda, & osium fracturas ferruminandas. Sed monachos missos faciamus: & seplasiarios admoneamus, ut si nostro consi-
lio uti velint, non aliud pro lacca in eam antidotum imponent, quàm laccam ipsam Serapionis, quæ nativæ ex Armenia
ad sericorum vellerum insectum copiosissima ad nos deferitur, siquidem de hac intellexerunt Mauritanii: quos secutus Ni-
colaus Myrepsius in sua Dialacca conscriptione, laccam insectorum immiscuit. Quod καὶ νάμαρ Græci, Latini item Cancamum
vocat: Arabes, Sach, sive lach: Itali, Cancamo: vulgus officinarum, Lacca.

Cancamum Dioscorides & Aegineta ex Græcis propofuere: at Galenus in classe simplicium non me-
minit: & Plinius li. 12. c. 20. nomē solum habet: at recentiores Græcos, ut Actuarium, secuti Arabes كحلان
vocat: cur autem dicatur Lac, Loc, & Luc (Serapio habet Sac, apud incolas quibus nascitur Trec, unde
apud Pandestarium Aec) causam putat Garzias quod in Loc seu mellis crassitudinem dissolvatur, cum
ad inficiendum, vel etiam in medicina ejus usus est. Verum Anguillara & Montanus Cancamum Græ-
corum censent esse id, quod in officinis Benioinum dicitur: sic Garzias Cancamum vult idem esse cum
eo gummate, quod nunc Anime nomine adfertur: quæ de re plenius in Commentariis nostris in librum
primum Dioscoridis agemus. Revera Arabum Lacca descriptio, cum Cancami Dioscoridis & Pauli de-
scriptione convenit. Est autem Lacca lachryma adherens lignosis quibusdam surculis, qui vastæ sunt ar-
boris, foliis quodammodo pruni (vel arboris, quæ juglandibus nostris similis Ludovico Romano) in cu-
jus surculis formicæ magnæ materiam ex arbore exfugentes Laccam elaborant, quæ colore ruffo, odore
viroso si accendatur: præstantior quæ surculis adhæret, quam Laccam Sumetri vocant, quia ex Sumet-
ria insula, id est, Taprobana habeatur: vilior quæ in glebis sive surculis affertur, quæ Lacca Comberti
dicitur. Cancamum Græcis veteribus, recentioribus Græcis & Arabibus Lacha Cordi, in Diosc. & hist.
Sylvio, Amato, Cronenburgio Arabum Lacca & offic. Lob. Lacca Clus. in Garz. Cæs. Tab. & Lugd.
qui Cancamum Dioscorid. & Pauli esse negat: eo quod Lacca minimè sit odorata: eandem ob causam
Lobelus cum Hermolao, an Lacca Arabum & offic. sit Cancamum, dubitat.

Κύπρι.

CYPHI.

CAP. XXIIII.

CYPHI odorati suffimenti compositio est, dicata diis, quæ abunde Ægyptii sacerdotes utuntur. In an-
tidota misceri solet: suspiriosis datur in potu. Permultæ componendi rationes, quarum una hæc est.
Sumito cyperi dimidium sextarium, cum pari baccarū juniperi adultæ modo: uvæ passæ pinguis, exem-
ptis vinaceis, minas duodecim: resinæ purgatæ minas quinque: calami, & junci odoratorum, & aspalathi,
singulorum minam: myrrhæ duodecim: vini veteris sextarios novem, cum duabus mellis minis. Uvam
passam, detractis vinaceis, tufam cum vino, & myrrha subigito: cætera tufa, & cribrata adjicito: die uno
humorem combibere finito: dein mel coquito, dum sibi glutinis adfiscat crassitudinem: eliquatam resi-
nam accuratè permisceto, cum reliquis diligenter contritis, & in fictile vas recondito.

Cyphi
caput ad-
scriptum.

Non omnes sanè Dioscoridis codices, præsertimq; vetustiores hoc Cyphi caput recipiunt. Quo fit, ut crediderim cum
plerisque rei medicæ peritis, id illegitimè huc accessisse: siquidem non rationi consentaneum esse videtur, Dioscoridem
hic de simplicium materia scribentem, composita medicamentam inconsultè, ac præter rem simplicibus inseruisse: præ-
sertim cum id nulli superiorum commodè adnecti possit, quemadmodum est de multis aliis compositionibus. Ut καὶ ποί Græ-
cis, ita etiam Latinis, & Italis, Cyphi appellatur.

Quod Dioscorides hoc loco Cypheos compositionem posuerit, ratio est, quia velut simplex quoddam
in multas compositiones recipitur, maximeq; veteres ad suffitus utebantur, quamvis & in Medicamē-
tis ejus fuerit usus, ut videre est apud Galenum 8. de comp. medic. secundum loca, in malagmate Ascle-
piadeo, ubi habetur Cypheos hieratici, id est, sacrificulorum, eo quod Ægyptii sacerdotes eo uterentur,
ut eo-

ut eodem lib. cap. 7. & 2. de antid. 2. ostendit Galenus: quae de re plenius Plutarchus commentario de Iside & Osyride: vide & Hermolaum. Non tamen compositio ipsius Cyphi cum Cyphoide commisceri debet, cum diversa sint medicamenta: de hac namque antidoto ad hepaticos & thoracis vitia agit Galenus libro citato cap. 7. & Aegineta lib. 7. cap. 11. Dioscorides permultas dicit fuisse compositiones, & rectè: apud Aegyptios certus rerum exigebatur numerus, qui sexdecim erat, quadratus & pariter par: adeo autem religiosè conficiebant, ut sacerdotes ex scripto unguentariis praeirent. At Aegineta lib. 7. cap. 22. duplicem habet compositionem, alteram Cyphi magnam *ἡλικιαν* ex triginta sex ingredientibus, cuius & Posidonius & Trallianus lib. 1. cap. 15. meminere: alteram *παρασκευασμένην* lunarem, ex viginti octo simplicibus compositam: quae de re & Myrepsius Antidoto 298. & Aetius lib. 13. cap. 116. Nec admodum dissimile medicamentum Aegineta sequenti cap. proponit, quod Masucha, Aegyptia voce, quibusdam Masnaphium vocetur.

Κρόκον.

CROCUM.

CAP. XXV.

CROCUM optimum in medendi usu Coryceum, recens, & boni coloris, paulum candidi gerens in capreolo, oblongum, omnibus suis partibus constans, non fragile, plenum, à quo detractum est nihil, quod madefactum manus inficit, nec situm redoler, aut cariem sentit, subacre: sin huius generis non est, aut vetus, aut humore perfusum creditur. Secundus locus datur Coryceo, è tractu Lyciae contermino. Tertius Lycio, è monte Olympo. Dein ex Aegibus Aetoliae. Cyrenaicum & Centuripinum inter Sicilica omnia viribus infirmius est. Omnium natura oleracea: Italia tamen ob succi copiam, & coloris venustatem, tingendis mortariis dicaverunt: quibus de causis magno venditur. Utilissimum in medicina quod ante descripsimus. Adulteratur immixto crocomagma tulo, & atque etiam sapae subtilitu: contrita, quò pondus adjiciatur, simul argenti spuma, aut plumbagine. Sed maleficium declarat infidens pulvis, praesertim si defrutum in odorando subolet. Thessalus ipsum tantum odoratum esse voluit. Alii exitiosum, tribus drachmis ex aqua potis. Proculdubio vim coquendi, emolliendi, atque subfringendi habet: urinam cit: elegantem colorem praestat: qui ex passo biberint, crapulam non sentient: oculorum fluxiones illitum cum humano lacte cohibet: additur in potiones, quae interaneorum causa temperantur: ad vulvae etiam, sedisque cataplasmata utiliter inditur: venerem stimulat: vergentes ad ignem sacrum inflammationes mulcet: auriculariis collectionibus utile. Quò facilius conteratur, in calido fictili + sole siccati oportet, celeriterque versari. Urinam movet radix ex passo pota.

*a Meum
ἐπὶ τοῖς
λεῖκοις, ἰ.
in circuitu.
b Ruel.
ἀλάλητος,
Cat. ἐν-
μήκῃς ἀ-
δι. sed
meum.
ὁλομελὲς,
c Non
habet O-
ribalium.*

*† Novo
addit O-
rib.*

Κροκόμαγμα.

CROCOMAGMA.

CAP. XXVI.

CROCOMAGMA fit expressis unguenti crocini odoramentis, & in formas digestis. Optimum est odoratum, modicè myrrham olens, grave, nigrum, ligni expers, leve, subamarum, quod madefactum croci colorem reddit, gustatumque vehementer dentes ac linguam inficit, multis durans annis: quale est quod à Syria defertur. Habet suas vires ad delenda, quae caliginem oculis obversant: urinam cit, calfacit, concoquit, & emollit. Vires croci proportionè quadantenus repraesentat: quandoquidem plurimam croci partem sibi Crocomagma vendicat.

CROCUM FLORENS.

CROCUM NON FLORENS.



Crocum

Croci
confide-
ratio.

Crocum quidem ubiq; terrarum cognoscitur. Planta est comosis foliis longis, angustis, capillaceis, planis, tamen non rotundis, tragopogoni modo, sed angustioribus & numerosioribus, humi accubantibus, densis ac mollibus. Floret post æquinoctium Autumni antequam folia proveniant, floribus Colchico Ephemero similibus, purpureis, ac aspectu jucundis. E medio rubra prodeunt stamina in crassiusculum cacumen desinentia, quibuscum ex eadem serè origine, quidam ex-
eunt processus exigui, linguæ figuræ, aurei coloris, in similibus, qui in colchici flore habentur. Floret Crocum continuo fere mense. A floribus prodeunt subinde folia, quæ tota hyeme virescunt, spretis algoribus: arefcunt hæc, ac prorsus deperduntur vere, & nunquam per æstatem apparent. Radicem habet Crocum bulbosam, pluribus contextam tunicis, ipsiq; subflavescentibus, Gladioli modo. Eruuntur Bulbi quarto anno, verno tantum tempore, servanturq; æstate tota in horreis: & se-
runtur deinde appetente autumno, in tenui solo, nam & stercore odere, & solidam humum, in campis & hortis, bulbis tantum transpositis Crocum in Italia, & præsertim in Hetruria, Mauritaniarum modo vulgo vocatur Zaffarano: quan-
quam non desunt rura in agro nostro Senensi, qua corrupto à Croco vocabulo ipsum appellant Gruogo. Ceterum crocum
Coryceum, & Lycium in Olympo monte decerptum (quod sciam) ad nos non advehitur: quapropter quod ab Aquila Vesti-
norum urbe affertur, primum sibi locum vendicat in Italia. Constat optimum esse, & Aquilano longè præstantius, quod
in Germania oritur, à Vienna Austria metropoli devehit: sed hujuscemodi sane perexiguum est, idq; difficulter transit
ad Italos, ob ejus frequentissimum in cibis usum apud Pannonios, & Germanos. Floret Crocum (ut Theophrastus auctor
est) vergiliarum occasu paucisq; diebus: confestim vero cum folio florem quoq; expellit. Gaudet calcari, & melius ita e-
vadit. Croci meminit Galenus lib. 7. simpl. med. inquit: Crocus paululum etiam adstringens quid obtinet quod terreum,
frigidumq; ostendimus: sed superat in eo calfaciens & qualitas, & facultas, ut tota ejus essentia secundi sit ordinis excal-
facientium & primi exiccantium, proinde concoquendi quoq; vim quandam habet, adjuvante scilicet in hoc & paucis
adstrictione. Quippe quibus medicamentis, cum non admodum excalfaciant, paucula adest adstrictio, ea parum facula-
tem habent essentia emplasticis vocatis, quas cum junctas esse caliditati non vehementi contigerit, concoquentes esse osten-
dimus. Et lib. 2. de comp. med. secundum locos: Crocum, ait, suo odore caput ferit, & mentem tentat, peucedani, & fructu-
um lentisci modo. Latitiam affert, ob id additur utiliter medicamentis ad cor facientibus. &c. Græcè: Crocus, sive Cro-
cum Latine nominatur: Zabafaran, aut Zafaran, Arabicè: Zaffarano, Italianè: Saffran Germanicè: Azaffran, Hispani-
& Italos.

Crocum
quodo-
ptimum.

Croci vi-
res ex
Galeo.

Nomina.

In Croci floris medio plerunque tria, nonnunquam etiam plura stamina (necnon vocantur) observan-
tur, quæ cum sola in usum veniant, propter excellentiam croci nomine donantur. Duum generum est
Crocus Theophrasto: Sativus, de quo 1. hist. 6. & 6. ejusdem 6. item 7. hist. 9. & 10. & Montanus, de quo 30
6. hist. 7. Sic Sylvestrem alium dicimus majorem, alium minorem: alium vernum, alium autumnalem,
qui rursus colore floris & foliorum variat: quare in nostro Phytopinace quindecim differentias posui-
mus. Dicitur herbariis Crocus, Crocus vulgaris, Crocus sativus, Callimachi Scholiastes deducit
trè in quibusdam, quod bruma vireat: at Galenus 9. de comp. med. fabulam de Croco puero, cujus san-
guis in hunc florem versus sit, refert: aliter tamen quam Ovidius 4. Metam. qui ob amorem Smilacis vir-
ginis in hunc florem mutatum scribit. Subjungit
Dioscorides Crocomagma, quod fex est olei Cro-
cini, seu Crocini unguenti, ex croco & Myrrha
parati, sedimentum in pastillos efformatum. Hip-
pocrates libro de Sterilibus, in quibus appellat.
Celsus lib. 5. recrementum: Plinius, un-
guenti fecem
nominavit. Verum Galenus 2. de Antidotis aliam
Crocomagmatis descriptionem proposuit, quam
Damocrates versibus conscripsit: quam & Aetius
lib. 2. cap. 196. & lib. 6. cap. 50. & lib. 14. cap. 50.
habet: Aegineta lib. 7. cap. 12. etiam composi-
tionem, sed Galeni & Aetii pleniorē proponit:
habet & Mesues suos Trochiscos Crocomagmatis,
qua de re alijs.

HELENIUM.



Ita Cat.
Sed Meū
& Drag.
simplici-
ter non.
Ita Meū
& Drag.
Sed Cat.
cinaræ:
idque re-
fatus meo
judicio.
fMeum
cinaræ,
i. siccis.
Sed Cat.
cinaræ,
i. bume-
tis: idq;
rectum.

Edinop. ELENIUM. CAP. XXVII.

HELENIUM folia habet verbasci angustioris fo-
lia asperiora, oblonga: caulem a quibusdam in
locis non emittit: radicem b subalbidam, interdum
subrufam, odoratam, & subacrem, vegetam, ma-
gnam: ex qua agnatæ propagines d liliorum, aut e
ari modo seruntur. Montanis, umbrosis, & f sic-
cis locis provenit. Foditur æstate radix, particu-
latimq; dissecta siccat. Potum radicis decoctum 60
menses, & urinas ciet. Ipsaq; in eclegmate ex mel-
le prodest tussi, orthopnææ, ruptis, convulsis, in-
flationibus, & serpentium moribus. In summa ex-
calfaciens est. Folia ejus ex vino cocta utiliter i-
schiadici illinuntur. Helenii radix & stomacho u-
tilis est in passo condita: siquidē salgamarii paulu-
lum siccata eam, mox decoctam, & frigida aqua
madefactam, in sapam conjiciunt, & ad usus recō-
dunt. Trita, potaq; ad cruentas excreationes effi-
cax

50

cax est. Alterum Helenii genus in Aegypto gigni Cratevas tradit. Herba est cubitalibus ramulis, serpylli modo per humum repentibus, foliis lenticulæ circa ramos, sed longioribus crebrisque, radice pallida, g. digiti minoris crassitudine, per ima tenui superne crassiore, cortice nigro. Nascitur in maritimis, collibusque. Radix una in vino epota, contra serpentium ictus auxiliatur.

Helenium, quod Latinis etiam Inula dicitur, planta est vulgaris notitia. Folia habet verbasci latifolij latiora, longiora, hirsuta & in acutum desinentia, dorso prominente. Caulem proferit bicubitalem, & aliquando majorem, crassum, hirsutum, in quo flores exeunt aurei, Chrysanthemi modo, sed majores. Semen edit verbasco simile, tactu pruritum faciens. Radice nititur grandi, vegeta, tortuosa, & exterius nigricans, interius verò albicans, sapore amaro & subacti, ex qua agnatae propagines feruntur: loca amat uliginosa, quanquam & in montibus quandoque nascitur. Quod autem in Italia provenit, folio est longe majore, quam tradiderit Dioscorides. Quippe non solum verbasco angustifolio Inula Italica majora insunt folia, verum etiam ea magnitudine longe superant, quæ latifolio exoriuntur: quod tamen si pro locorum varietate evenire facile possit, crediderim tamen hoc in loco Dioscoridi codicem pluribus scateere mendis. Siquidem testatur Marcellus Florentinus vir quidem apprime doctus, se habuisse Dioscoridis vetustissimum ac probatissimum codicem, in quo longe plura legebantur, quam in cæteris ferè cunctis Græcis exemplaribus. Sed præsertim in hoc capite hæc de caule, floribus, & semine habebantur. Caulem ex se mittit Helenium crassum, hirsutum, cubitalem, & aliquando majorem, angulosumque: flores luteos: & in his semen verbasco simile, tactu pruritum faciens. Quare mirum non est, si etiam alia hic desiderari possint, cum non facile adducar, ut credam, Dioscoridem Helenij radicis, cujus tantum est in medicamentis usus, tum amaritudinem, tum formam subticuisse. Meminit Inula Plinius lib. x. cap. v. ubi sic habet. Sifer his feritur mensibus, Februario, Martio, Aprili, Augusto, Septembri, Octobri: brevior hirsuta, sed torosior amariorque, Inula, per se stomacho inimicissima: eadem dulcibus mista saluberrima. Illustrata maxime Julia Augusta quotidiano cibo. Supervacuuum ejus semen, quoniam oculis ex radice excisis, ut arundo feritur. Item lib. xx. cap. v. Inula quoque, inquit, à jejunis commendata dentes confirmat, si ut eruta est, terram non attingat. Conditæ tussim emendat. Radicis vero decoctæ succustineas pellit. Siccat autem in umbra farina, tussis, & convulsis, & inflationibus, & arterijs medetur. Venenatorum morsus abigit. Folia ex vino lumborum dolori illinuntur: hæcenus Plinius. Vinum, quod Helenij radicibus passim ubique in Germania paratur, frequenter in potu sumptum mirifice visum acuit. Arridet radicis farina denarij pondere, diebus aliquot ex vino veteri hausta, spleneticos juvat. Cæterum Aegyptium Helenium, quod Crateva auctoritate memoria prodidit Dioscorides ad nos (quod ego sciam) non deferretur, nec in Italia provenit: hoc à nostrate non distinxit Avicenna, sed utrunque simul confudit. Meminit hujus etiam Plinius lib. xxi. cap. x. his verbis. Helenium è lachrymis Helena dicitur natum, & ideo in Helena insula laudatissimum: est autem syntex humi se spargens, dodrant alibus ramulis, folio simili serpyllo. Item lib. eodem c. xxi. Helenium, inquit, ab Helena lachrymis (ut diximus) natum savyere creditur forma: cunctem mulierum in facie, reliquosque corpore nutrire incorruptam. Præterea putant usu ejus quandam gratiam hys, veneremque conciliari. Attribuunt & hilaritatis effectum eidem potæ in vino, eumque, quem habuerit nepenthes illud prædicatum ab Homero, quod tristitia omnis aboleatur: est autem succi prædulcis. Prodest & orthopnoicis radix ejus in aqua jejunij pota. Est autem candida intus, & dulcis. Bibitur & contra serpentium ictus ex vino. Mures quoque contrita dicitur necare hæc Plinius. Quibus satis constat, non modo in Aegypto hoc Helenij genus provenire, sed etiam in Helena Aegæi insula præstantissimum haberi. Helenij radicem succum, cum pari byssopi succi portione, & aqua stillatitia Tusilaginis triplicato pondere, saccharique, quantum sat fuerit, ad mellis spissitudinem decoctus, mirifice asthmaticos juvat, si eo frequenter utantur. Helenij vires scripsit Galenus lib. v. i. simpl. medic. sic inquit: Helenij herbe radix maxime utilis est, non primo statim occursu excalescens: ac proinde non dicenda est calida, & sicca exacte, ceu piper tum atrum, tum candidum, sed cum recrementis humoris. Quapropter ecligmati, quæ faciunt ad educendos ex thorace, & pulmone crassos lentosque humores, idonee commiscetur. Rubrificat quoque ea partes frigidis, ac diuturnis vexatas affectibus, cujusmodi sunt nonnulla coxarum passionis, ischiadas vocant, & exigue aspidæque, articulorum quorundam præ humiditate procedentia ac luxationes: hæc ille. Aperit, provocat, concoquit, incidit. Aqua à radicibus destillata maculas in facie delet, & cutis nitorem conciliat. Cæterum sunt, qui dicunt (ut etiam testatur liber de theriaca ad Pisonem, Galeno ascriptus) quod si Helenij succo tela venatoria inficiantur, venenata efficiuntur, idque in Dalmatia fieri narrant, ut seras omnino perdant: quod tamen potius fabulosum, quam historicum crediderim. Nam cum plura sint in eo libro, quæ fabulosa habentur, ut latius in nostris scripsimus epistolis nihil est quod me adducat ad credendum, ex Helenio parari venenum. Crederem potius illius operis auctorem ex aliquo codice hæc transcripsisse, ubi idem arti res idemque depravate legebatur. Idque eo magis adducor ut credam, quod sciam in Hispania ex albo veratro parari unguentum pro illinendis sagittis, adeo venenosum, quod ubi sanguini se commiscuerit, ante horam animal interficit, nec alio medicamento sanari posse vulneratos, quam devoratis cydoniis malis, vel succo eorum ebibito. Hæc enim antidoto hys mirifice succurritur. Planta, quæ Græco nomine *ἡλένη*, Latino Helenium & Inula dicitur: Arabico, *Isim* sive *Rasen*: Italico, *Iella*, *Enoa*, aut *Enola*: Germanico, *Alantwurtz*: Hispanico, *Rai* de alla: Gallico, *Aulned*: Bohemico *Vuoman*. Polonico, *Oman*: vulgo officinis *Enula campana*.

Helenium quidam ab Helena dictum volunt, quod, ut habet Plinius lib. 2. cap. 10. fabulentur, ex ejus lachrymis in Helena insula, in qua Paris primum adulterium commiserit, natum sit: quam fabulam eleganter Nicander in Theriacis descripsit: alii quod contra serpentes ex eo primum remedium ab Helena inventum sit: vel quod in Helena insula longe optimum luxuriet. Quibusdam dicitur Nectarium, qui à Mercurio inventum & Ulyssi traditum volunt. Tria genera agnovit Dioscorides, hoc enim capite duo proposuit, alterum foliis similibus verbasco, *σπυρίλλω*, ubi *πλάγυρδα* legendum censemus: alterum Ægyptiacum: & tertium Helenii Comagenii nomine, superius capite de Costo. Quod Helenium vulgare vocamus, vulgo Enula campana, quod alicubi in campis proveniat, dicitur, apud Theophrastum 9. histor. 10. Panax chironium censetur Anguill. quibusdam panaces centaurium: Inula Plinio. Inula Campana, Apulejo: Enula, Lon. Cæs. Elenium, Trago, Fuchf. Helenium, Dod. Gef. hor. Cord. in Diof. Lac. Cast. Lob. Tab. Cam. Helenium majus Cord. in hist.

ὀμφάκινον, ἢ πᾶν ἔλαιον. OMPHACINVM, ET OMNE OLEVVM. CAP. XXVIII.

Oleum quod ex a immaturis olivis exprimitur, ad multos usus recte valentibus accommodatissimum est, omphacinum id appellatur. Præstat recens, odoratum, quod non mordeat. Tale unguentorum

g. Cat. ad-
dit. x. p. m.
x. p. i. &
longa.
Helenii
confide-
ratio &
historia.

Plinius
de Inula.

Vinum
helenites

Helenii
Aegypt.
confid.

Helenii
vires ex
Gal.

Fabulo-
sum, He-
lenii suc-
cum ve-
nenatum
esse.

Vulgus
venenat.
ex Elleb.
Nomina.

a Meum
ἀπὸ μέ-
σης. i. cru-
dum.

hic addit.
μίσρον τῆς
μαλίας
i. in cal-
ditate &
frigida-
te tem-
peratum.
e Meum
cū Ruel.
i. sudores
sistit. Sed
Cat. con-
trario i.
φελήνιο.
i. elicit:
sed malē.
d Ita Cat.
sed Meū
& Drag.
μαλίας
i. ad mel-
lis crassi-
tudinem,
& untor,
eandem
enim cū
prædicto
vim ha-
bet.

torum compositionibus idoneum intelligitur. b Stomacho utile est, quod astringat: gingivas contrahit, dentes firmat, si contineatur in ore: c sudores cohibet: quod autem verstius ac pinguius, eò ad medicamenta aptius est. Et (ut reliqua in commune dicantur) omne oleum calefacit, d emollit ventrem, à perfrictionibus corpus tuetur, ipsumque promptius ad obeunda munera reddit, alvum emollit, ulcerantium medicamentorum vires permistum hebetat: contra venena datur, assidue potum, redditumque vomitionibus: solvit alvum heminae mensura cum pari pitanae succo, aut aqua potum: ad tormina calidum simul decocta ruta tribus sextariis in potu datur, ventris animalia pellit: idem maxime ilei intestini morbo laborantibus infunditur. Verus magis calfacit, & vehementius discutit: oculorum claritati sublitum confert. Si verusti non sit occasio, in vase decoquitur & ad mellis crassitudinem, ut vetustatem repræsentet.

Ελαιον τῆς ἀγριολίας.

OLEUM SYLVESTRIS OLIVÆ.

CAP. XXIX.

Oleum, quod sylvestres olivæ fundunt, vehementer astringit, & ad sanorum usus secundum sibi locum vendicat. In doloribus capitis utiliter pro rosaceo substituitur: sudores arcet: defluentes capillos inhiat: furfures, ulcera capitis manantia, scabiem, leprasque abstergit: tardius canicem sentiunt, qui eo quotidie perunguntur. Candidum oleum fit hoc modo. Album colore, nec anniculo verstius, in novum fictile oris patuli funditur, centum heminarum mensura, & sub solem media quaque die concha refunditur, ex altoque demittitur, ut assidua devolutione, ictuque agitarum respuer: octava die scænum græcum mundum quinquaginta denariorum pondere, calida aqua madefactum, donec emollescat, in supradictum oleum dejicitur, ita ne extiller aqua: postea redæ præpinguis piceæ, assulatum cæsæ æquale pondus adjicitur, & transactis octo diebus, oleum concha movetur. Ubi candorem contraxerit, in vas novum vetere vino assusum recondi debet, substratis fertulæ campanæ corollis drachmas undecim pendentes, cum pari iridis pondere: sin minus, rursus soli mandandum, & idem munus obeundum, usque dum inalbescat.

Σικυονίου έλαιον.

SICYONIUM OLEUM.

CAP. XXX.

Sicyonii componendi ratio hæc est. In lebetem oris lati, stanno inductum, funditur novi olei albi, quod crudæ olivæ reddiderunt, congruus unus: aquæ semicongius. Levi id igne coquitur, leniter movendo: at ubi bis efferbuit, & subtracto igne refrixit, innatans oleum concha decapulatur, & adjecta nova aqua confervescit, & reliquis, ut diximus, peractis reponitur. In Sicyonia maxime fieri consuevit, Sicyonii inde accepto cognomine. Calfactoriam ad quendam usque modum vim habet. Febri ac nervorum vitiis prodest: scæminæ ad commendandum faciei nitorem eo utuntur.

Πρίμα.

STRIGMENTUM.

CAP. XXXI.

Meum &
Drag. cō-
jungunt
hoc ca-
put cum
superio-
ri.

Strigmenta à balneis calfaciunt, molliunt, discutiunt: ad sedis rimas, & condylomata illinuntur. Illa vero, quæ ex palæstris pulverem sibi adsciverunt, in fordīs speciem redacta, articulorum nodos imposita adjuvant: ischiadicis in fotus, aut malagmatis locum, calida commodè sufficiuntur. Dersæ gymnasiarum parietibus simulachrisque sordes, calfaciunt: tubercula, quæ ægrè ad coctionem producuntur, dissipant: desquamatis, & ulceribus antiquis profunt.

Olei cō-
sideratio.

Olei usus
apud ve-
teres.

Multo quidem artificio veteres utebantur ad componendum multifariam oleum, ut ex Dioscoride satis superque constat: quod tamen hac tempestate à nobis fieri non solet, quamvis fortasse apud Græcos ejusmodi parandi olei consuetudo minime exoleverit. Quippe id tantum in communi omnium usu apud nos habetur, quod è maturis olivis exprimitur: tamen si quidam, quod & gustatu jucundius, & sanitati conducibilius sibi oleum comparare velint, id ab immaturis olivis exprimant, quas eo tempore legunt, cum ipsa jam plenè flava & tantillam subrubescere cæperint. Caterum non mirum est, si veteres & illud candidum reddere, & multis parare modis curabant: siquidem non modo in ciborum condimentis oleo frequenter utebantur, sed etiam ut agiliores, promptiores, ac expeditiores evaderent ad obeunda corporis munera, frequentius sibi totum corpus oleo perungebant, qua de causa & balnea frequentabant, & thermas: namque olei contracta sordes, ut corpora sepius perluerentur, maxime expetebat. Obibant autem id muneris servi in balneis, qui non modo corpus totum intrantibus abluebant: sed & ipsum quibusdam strigilibus abradebant ad hoc opus aptissimum, quas alij ex auro, nonnulli ex argento: quidam ex ferro, aliqui ex ebano, ac etiam ex præclaris lapidibus sibi comparabant, denique pro nobilitate, & facultate eorum, qui ad balnea consuebant. Quapropter dum se in ipsis balneis abradere, sudoremque emanantem detergere curabant, olei strigmenta, quo se prius perunxerant, in balnei aquam decidebant: quorum hic meminuit Dioscorides. Fuit præterea in magno, ac præcipuo usu apud veteres oleum ad perungendos athletas, qui in theatris palæstræ nudi luctabantur, non solum ut eorum corpora agilia, expeditioraque, in certamine redderentur, sed ut etiam si difficiliter sese manibus comprehenderent. Cum autem ibi pulvis ob pedum frequentiore motum concitaretur, athleta ipsi oleo assatim peruncti, illum in se facile contraherant, ac multo magis cum in terram alter alterum consternerat. Quare balneum ingressi, strigilibusque, abradi cænoxa strigmenta relinquebant, quibus artuum affectibus Dioscorides mederi tradidit. Sed cum plurimi athleta oleo copiose peruncti inter luctandum palæstræ parietibus, ac statuis lapideis, sese sepius affricarent, contracta loca olei pinguedinem contraherant, quo facile fiebat, ut adveniente pulvere cænosum quoddam unguen parietibus inhæresceret: de quo etiam Dioscorides disseruit. Oleum, si cum pari portione vini Cretici calidum bibatur, aut Clystere infundatur, colicos, iliacos, & calculosos dolores mirifice mulcet. Olei facultates fusius prosequutus est Galenus lib. vi. de simplicium medicamentorum facult. sic inquit. Oleum, quod ex olivis conficitur, quod sanè propriissimo nomine oleum appellamus, cujusmodi sit temperatura, superioribus libris definitum est: quippe humectatorium esse, & moderatè calidum ostendimus. Ejusmodi est, quod est dulcissimum, fitque potissimum ex olivis, quas Græci ἁγριολίαν vocant,

Ol. ad
colicos.
Olei fa-
cult. ex
Galeno.